



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Musa Virgo. 2. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## S. MUSA VIRGO. 2. Aprilis.

Erat Musa virgo Romana, rarum, at breve  
et teneræ ætatis miraculum, cuius lecto nomi-  
ne, cave citharam chorosve cogites; nullæ occur-  
rant Pierides; vitæ severitatem, verborum mode-  
rationem, animi recessum disce. Quiescenti olim  
Deipara, denso virginum sacrarum agmine cincta,  
se obtulit; omnibus in vultu nitor solis, in veste  
candor nivis. Et Regina quidem eam affata: Co-  
mates, inquit, meas dote virginitatis filii mei con-  
nubium promeritas vides? augebis tu numerum,  
si moribus matronam potius quam puellam præ-  
stiteris, & infantiae senilem miscueris temperatio-  
nem. Nihil, quo pares leviter exultant, amabis. Re-  
ligioni risum, jocum sceleri duces. Ad honesta  
oculis, ad interrogata verbis uteris. Ad necessaria  
manum, ad iussa gradum movebis. Sic efficiam ut  
trigesimo die voti compos fias. Sub hæc ita muta-  
ta est Musa, ut solicito parentum oculo non indi-  
geret, ex quâ tot gravitatis peri argumenta pote-  
rant. Itaque interrogare subiit novi moris causam:  
quam filia nocturni visi commemoratione attoni-  
tis indicavit. Quinto inde ac vicesimo die febri-  
corripitur: trigesimo Deiparâ Musam evocante,  
illa gestiens iterat, *Ecce Domina venio,* & cum voce  
hinc abiit; vobis quoque, qui Musas colitis, Du-  
cem præbitura se, monituraque cælum ambienti-  
bus morū levitatem oneri esse. Ex l. 4. Dial. S. Greg.

Vt Deum contempleris factus es; non ut humili irre-  
pat vita tua; non ut pecudum ritu voluptate perfruaris:  
verius ut ad normam & institutum celestis vitæ tuam  
ipsius componas. S. Basil. hom. II. in Hexem.

H ;

S. R I-

S. N.